



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

19. Novembris. In tentatione accersenda est spes, & cogitatio adfuturæ  
brevi consolationis: præsertim si per sanctos conatus desolationis conatus  
sensim frangatur. S. Ignat. in exerc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



Nec publica prius, nec privata belli cessabunt incendia, nisi ligna igni, id est, terrenarum rerum desideria, subtrahantur; hæc sunt, quæ flammis alimenta ministrant. **N**ato Christo, factus est in pace locus ejus, quia pauper positus in præsepio, nihil mundi opibus concupivit. Ubi suspicio de regis titulo Herodi innotuit, pax bello, & tot innocentium cædibus est profligata.

19. Novembris.

*In tentatione accersenda est spes, & cogitatio ad futura brevi consolationis: præsertim si per sanctos conatus desolationis conatus sensim frangatur. S. Ignat. in exerc.*

**N**on naturæ solius iste cursus est, ut nox succedat diei, læta cursum alternent cum tristibus, verum & gratiæ; si nunquam nos exercerent nubila, nesciremus serenum æstimare.

Sinit desolationes Deus, vel ut ambidextros efficiat, & utrique forti assuescere doceat, vel ne quiete perpetuâ nimium extollamur, aut certè, ut unde petendum sit auxilium, erudiamur.

Etiam per fluctus navigatur ad littus. Hæc Deum amantis animæ consolatio sit, quod



quòd in desolatione pariter, & consolatione illi adhærere possit. Nec quidquam est, quod displicere possit, si è patris manus profectum sciat.

Qui desolationem animi, corporis consolatione compensare vellet, languorem ille membrorum veneno curare, morbum morte levare vellet, ac hoc est, quod dæmon in turbido piscatur.

## 20. Novembris.

*Qui cum facultate præest, videat, ne charitatis particularis affectus, universalis noceat. S. Ignat. p. 1. c. 3.*

**C**entrum suorum est superior, hunc respiciunt universi, quàm diu pari hic ad singulos affectu, paralellis velut lineis fertur, nec medium deserit; quòd si ad dextram declinet, aut sinistram, circulum efficit vitiosum.

Æmulatio, invidia, similtates non tam subditorum, quàm superioris, vitia sunt; qui si hæc, partiali erga aliquos affectu, non foveret, invidiæ materia, id est, fomes igni subtraheretur.

In medio discipulorum stetit Christus, dum dixit: pax obis. Hæc in communitate